



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. XXXI. De Congregatione super bono Regimine communitatum status  
Ecclesiastici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Beneventanam ; Excepta Urbe Romana, in cuius causis se non ingerit, cum suum habeat Governatorem, qui negotia, quæ in eâ occurrunt, confert cum Pontifice. Neque immiscet se in negotiis illarum Provinciarum & Civitatum, quæ Cardinales habent Legatos, ut sunt : Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinatensis & Æmilia, seu Romandiola.

9. Omnia omnino gratis in hac Congregatione tractantur & expediuntur, & licet Prælati qui in hoc Tribunali operam suam impendunt, magnis laboribus & studiis negotia huc spectantia peragant, nullum tamen stipendium, aut emolumentum etiam quod muneris loco solummodo offerretur, admittunt.

*De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 25.*

## CAPUT XXXI.

De Congregatione super bono Regimine Communitatum Status Ecclesiastici.

I. Clemens

1. Clemens VIII. instituit hanc Congregationem pro Regimine Oeconomico communitatum.
2. Qui constituent hanc Congregationem.
3. Quod sit munus illius.
4. Magistratus non potest gravare Communitatem sine licentia Congregationis.
5. Jurisdictio concessa Congregationi à Clemente VIII.
6. Ampliata est per Paulum V.
8. Tribunal hoc est mixtum. Constituti sunt Agentes communitatum.
9. Quibus negotiis se non immisceat hæc Congregatio.

I.

Quemadmodum Sixtus V. erexit Congregationem Consultæ de qua capite præcedente actum est, pro Regimine Civili politico, ita Clemens VIII. instituit Const. 10. Pro commissa, & seq. deput. Cum per constitutionem hanc Congregationem pro regimine Oeconomico Communitatum, quæ alterius dici potest filia & administra, cum ex ea quasi prognata sit & expedienda suscipiat, quæ prima ob multitudinem negotiorum in regimine politico occurrentia dimisit.

2. Con-

2. Constituitur hæc ex quibusdam Cardinalibus, Secretario, qui præcipuè curam Communitatum suscipit, & quamplurimis utriusque Signaturæ Prælati, qui causas & negotia Communitatum inter se distributa in Congregatione proponunt. Et cum Paulus V. *Constit.* 38. *Cupientes* potestatem fecerit Cardinalibus hujus Congregationis Prælatos aliquos & personas jurisprudentiâ præditas à Pontifice approbandas, in eorum Consultores adhibendi, tales nonnunquam etiam ad Congregationem assumuntur. Præsident illius pariter est Cardinalis Superintendens Generalis, qui subscribit literas & Decreta, quæ ex hac congregatione emanant.

3. Munus vero præcipuum hujus Congregationis est cognoscere singulorum Communitatum Statum, eisque præscribere modum & formam Oeconomicæ administrationis, ut publica opera congruè supportare possint, ne inanis sumptus inutiles neque supprimantur aut ultra modum graventur subditi, aliique inferioris Ordinis homines à potentioribus.

4. Qua

4. Quare prohibitum est Magistratibus, ne Gabellas collectas aut contributiones sine scitu & licentia hujus Congregationis indicant, neque sine facultate ejusdem bona stabilia vel æquippollentia alienent, census imponant, æs alienum contrahant, aliosque contractus in perpetuum ac notabile communitatis præjudicium ineant.

5. Hunc in finem concessa est à Clemente VIII. *cit. Const. 10.* Congregationi potestas & jurisdictio privativè quoad omnes & quoscunque alios Judices ordinarios, vel delegatos cognoscendi causas appellationum & gravaminum debitorum Communitatum, exemptionumque validitatis; Defalcationum & remissionum &c. idque summarie, & sine strepitu, & figura Judicii, & prout justum ei videbitur, mandata quæcunque necessaria, & opportuna discernendi, relaxandi, & omni appellatione posthabita exequendi, cogendi. que Consanguineos debitorum ad redimenda eorum bona.

6. Quam jurisdictionem ampliavit, & declaravit Paulus V. *Const. 38. Cupientes*, ita ut facultatem acceperit Congregatio omnes & quascunque causas tam  
civiles

civiles, quam criminales & mixtas ad Communitates & Universitates quas-  
cunque Status Ecclesiastici, Sedi Apo-  
stolicæ mediatè vel immediatè subje-  
ctas tam activè quam passivè pertinen-  
tes, per se, vel ab eis subdelegandos  
audiendi, discutiendi, examinandi &  
terminandi, omniaque executioni de-  
mandandi.

7. Potestatem quoque habet causas  
quascunque reassumendi & avocandi;  
Judicibus quibuscunque aliisque sub cen-  
suris & pœnis inhibendi, & quoscun-  
que citandi, cæteraque necessaria &  
opportuna ordinandi & exequendi, ita  
ut occasione causarum criminalium,  
censuram Ecclesiasticam, aut irregula-  
ritatis notam, dummodo sententias san-  
guinis per se ipsos non ferant, minimè  
incurrant. *Paulus V. Const. 38.*

8. Hinc Tribunal hoc mixtum est ex  
Ecclesiastica & sæculari potestate; Et  
quæ in eo à majori parte conclusa fue-  
rint plenam obtinent firmitatem. Ne  
autem Communitatum negotia remo-  
tam patiantur, aut plane negligantur,  
constituti sunt quidam Agentes Com-  
munitatum, qui distributas inter se ha-  
bent Provincias, ut quisque sciat, quæ  
causæ

causæ ipsi incumbant, & Communitates norint, apud quem querelas & gravamina sua deponere possint, eorumque expeditionem sollicitare.

9. Non immiscet se vero hæc Congregatio negotiis Communitatum Urbis Romanæ, quæ tractantur in Camera Populi Romani, cui præsunt Conservatores; Neque causis Civitatum vel Provinciarum, quæ per Cardinales Legatos administrantur, prout dictum est capite præcedente de Congregatione Consultæ. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 26.*

## CAPUT XXXII.

### De Congregatione pro Status Ecclesiastici Gravaminibus sublevandis.

1. *Quod sit Officium hujus Congregationis.*
2. *Qui eam ingrediantur; ubi & quando habeatur.*

I.

**N**E populus sanctæ Sedi subjectus nimium exactionum oneribus gravetur, instituit Sixtus V. *Const. 74. Immen-*

sa